

catur, & Sacra menta ex præscripto Christi administrantur, verè esse sanctos in Christū credentes & iustos, quia verbum Dei non frustrà prædicatur, Esa. 55. vers. 11. quæ omnia manifestis scripturæ dictis alibi copiosè demonstrantur.

9. Quæritur: Si verbum Dei non prorsus in omnibus suis partibus purè in cœtu aliquo doceatur, aut Sacra menta, vel utrumq[ue], vel alterutrum non legitimè administrantur, an ibi prorsus non sit Ecclesia? Rx. Quando purè verbum Dei docetur & Sacra menta ex institutione Christi rectè administrantur, tūm pura est Ecclesia; Si vero cœtus aliquis ab illa puritate recedit, tūm impura est, & tanta impurior, quanto longius recedit.

10. Quod vero Pontificii doctores repudiatis veris his notis, alias substituūt numero plures, ut sunt: 1. nomen Catholice. 2. antiquitas. 3. duratio diuturna. 4. amplitudo. 5. legitima Episcoporum successio. 6. conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua. 7. unio membrorum cum capite & inter se. 8. Sanctitas ex professione doctrinæ sanctæ. 9. Efficacitas doctrinæ. 10. Sanctitas primoru[m] patrum. 11. miraculorum. 12. lumen Prophe ticum.